



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Confessionibus Ritè ac fructuosè excipiendis Doctrinas  
tam generales, quàm speciales ad varios Hominum Status  
accomodatas complectens**

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

De peccato veniali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49251)

pendus est; unde peccat mortaliter, qui eodem die Festo sa-  
pius parum laborat, aut die jejunii sapius parum comedit,  
cum intentione perveniendi ad notabilem quantitatem; non  
autem, qui diebus diversis hoc facit.

De peccato veniali.

Qu. 1. Quid sit peccatum veniale? R. esse peccatum, quod  
ob suam levitatem non tollit amicitiam & gratiam DEI, ini-  
mit tamen fervorem, & paenam temporalem meretur.

Qu. 2. Quanam peccata ex genere suo venialia censeantur?  
R. ut plurimum ea omnia, quae contra proprium bonum com-  
missa sunt, v. g. inutilis & vana concupiscentia, vana oble-  
tatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultus & vestitus,  
luxuria, otium, excessus in cibo & potu, somno, usu conjugii,  
risu, timore, tristitia, appetitu pecuniae, laudis &c.

Qu. 3. Quibus modis peccatum veniale in mortale transeat?  
R. sequentibus. 1. Ratione finis adiuncti, ut si quis mentia-  
tur ad copulam carnalem extorquendam. 2. Ratione finis  
ultimi, ut si quis ita erga rem levem afficiatur, ut malit trans-  
gredi praecipuum sub mortali obligans, quam illam relin-  
quere. 3. Ratione scandalis, seu ruinae mortalis Proximo per  
illud creandae, ut si quis coram Junioribus ex consuetudine  
verba blasphema sine intentione blasphemandi usurparet. 4.  
Ratione periculi incidendi in peccatum mortale, ut si quis par-  
tes occultas alieni corporis vel sexus ex curiositate aspiciat.  
5. Ratione contemptus, ut si quis legem DEI, aut Regulas sui  
Ordinis, quatenus ordinem seu respectum ad legislatorem  
dicunt, contemnat. 6. Ratione erroneae conscientiae, ut si  
quis mortale putet, quod tamen per se tantum veniale erat.

De Circumstantiis Peccatorum.

Qu. 1. Quotuplicis generis circumstantia sunt, quae in pecca-  
to specialem considerationem merentur? R. duplicis potissi-  
mum, scilicet aggravantium & speciem mutantium; prioris  
generis sunt, quae peccatum in sua quidem specie relinquunt,  
sed tamen faciunt, ut majus longè peccatum reputari debeat;  
ut si quis furtum 100. florenorum committat. Posterioris  
generis sunt, quae peccato novam specificam differentiam  
addunt, ut si quis dictos centum florenos ex gazophilacio fu-

